

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Bellum y  
cum fonte primo

Constat quidem in omnibus locis  
et ignavos et strenuos nasci,  
tamen et gens gentem praecedit  
in bello et plaga caeli ad robur,  
non tantum corporum  
sed et iam animorum plurimum ualet.

Omnes nationes quae uicinae sunt soli  
nimio calore siccantur, amplius quidem sapere  
sed minus habere sanguinis dicunt;  
hanc propterea constantiam ac fiduciam  
comminus non habere pugnandi  
quia metuunt uulnera  
qui exiguum sanguinem se habere nouerunt.  
Econtra septentrionales populi  
remoti a solis ardoribus  
inconsultiores quidem sed tamen largo sanguine  
redundantes sunt ad bella promptissimi.  
Tyrones,  
id est bellatores,  
igitur de temperatioribus eligendi sunt plagis  
quibus et copia sanguinis suppetat  
ad uulnerum mortisque contemptum  
et non possit deesse prudentia  
quae et modestiam seruat in castris  
et non parum prodest in dimicatione consiliis.

Vegecius de re militari libro I. capitulo III.

Constat quidem in omnibus locis  
et ignavos et strenuos nasci,  
sed tamen et gens gentem praecedit  
in bello et plaga caeli ad robur  
non tantum corporum  
sed etiam animorum plurimum ualet;  
quo loco ea quae a doctissimis hominibus  
comprobata sunt non omittam.  
Omnes nationes quae uicinae sunt soli,  
nimio calore siccatae, amplius quidem sapere  
sed minus habere sanguinis dicunt  
ac propterea constantiam ac fiduciam  
comminus non habere pugnandi,  
quia metuunt uulnera  
qui exiguum sanguinem se habere nouerunt.  
Contra septentrionales populi,  
remoti a solis ardoribus,  
inconsultiores quidem sed tamen largo sanguine  
redundantes, sunt ad bella promptissimi.  
Tyrones  
igitur de temperatioribus eligendi sunt plagis,  
quibus et copia sanguinis suppetat  
ad uulnerum mortisque contemptum  
et non possit deesse prudentia,  
quae et modestiam seruat in castris  
et non parum prodest in dimicatione consiliis.

Publius Flavius Vegetius Renatus, *Epitoma rei  
militaris*, 1.2.2-5 (M.D. Reeve ed., pp.6-7,  
ll.18-23, 1-12).